# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE ABORTU;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

MICHAEL M^C. NAMARA,

Hibernus.

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC.

---

"Ritè maturos aperire partus
"Lenis Ilithyá tuêre matres."

HORAT. LIB. II. ODE XXI.

---

*Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.*

---

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ROBERTUS ALLAN.

MDCCCXVI.

JACOBO CALEB ANDERSON,

BARONETTO,

SUMMA MORUM URBANITATE,

ACERRIMIS INGENII DOTIBUS,

NECNON OMNIBUS ARTIBUS,

QUÆ AD HUMANITATEM PERTINENT,

ORNATISSIMO,

HOCCE OPUSCULUM,

STUDIORUM PRIMITIAS

EA, QUA DECET OBSERVANTIA,

LUBENTISSIME CONSECRAT,

AUCTOR.

4

# DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS,

### DE

# A B O R T U.

AUCTORE MICHAELE MACNAMARA.

Hominem a tempore quo primum vitales auras carpsit, imo etiam in utero matris latentem morbis et morti esse obnoxium lugendum est. Fœtus enim non solum pericula sibi propria habeat subeunda sed etiam morborum matris particeps cum genitrice sortem sæpe communicat. Cum itaque nobiscum reputemus utriusque vitam ex modo quo infans per tot casus et per tanta rerum discrimina in lucem prodeat, sæpe pendere, hanc rem summam medicorum attentionem jure sibi vindicare facile patebit. Fortasse majoris adhuc momenti

appareat, quod morbi hæreditarii ex injuriis in partu a quodam proavo acceptis originem sæpe ducant. His igitur rationibus adductus sum ut hoc argumentum pro tentamine inaugurali seligerem. Ut melius de abortu tractemus, pauca de connexione fœtus cum matre dicere, aliquid referre videtur; hoc est, de ovo vel membranis in quibus includitur fœtus. Non meum est consilium in arenam de vera ratione conceptus descendere.

Sententia autem, ovum scilicet, in ovario fœcundatum in uterum per tubas fallopianas descendere, præ omnibus mihi arridet. Dum hoc accidit mutationes necessariæ in utero fiunt,—paucis diebus elapsis, nonnulli flocculi vel vasa ex ovo emergere videntur, et neque dubitamus quin ope horum utero istud ovum adhærere incipiat. Vasa quoque ex ovo tendentia choria nuncupata et cum his uteri inosculantia, placentæ rudimenta formarent; quæ placenta dum paulatim augescit, simul portioni uteri, interna ejus superficie, connexiones haud ita exiguas habet. Quomodo hæc connexio sanciatur, haud nobis liquet,—nihil-

ominus ex hac connexione fluida matris et fœtus inter se commercium facere, constat. Igitur per fluida originem ex matre ducentia, fœtus magnitudine pergit et nutrimentum capit, ut uterus se accommodet fœtui, increscere et paulatim distendi incipit. Ita res plerumque habent, in humano corpore, per novem menses, quando fœtus diversum vitæ genus sustinendi fit capax. Ad explicandam causam qua partus ad finem novem mensium gestationis accidit, plurimi conatus instituti sunt? Quidam impulsui, quo luna humanum genus regit, alii irritationi, quam idoneo tempore occurrere contendunt ex magna distensione uteri, quæ excitat ejus contractionem convulsivam et fœtus expulsionem, eum tribuerunt. Opinio quæ verisimilior apparet est ea quæ processum ex contractione musculari uteri pendere censet. Tamen nullam theoriam hujus signi egregii rationem satis definitam præbere, dicere oportet. Illud numen quod generi humano præest, gestationi novem menses plerumque tribuit. Partu tunc temporis incipiente, ex cunabulo in lucem

fœtus editur, et placenta separatur. Rebus sic se habentibus, partus naturalis tunc accidere solet. Sed variis ex causis fœtum tempore non debito, a nido depelli, et etiam separationem placentæ diversis temporibus ante novem exactos menses occurrere, scimus; quæ, qua ratione et ex quibus causis eveniat mihi in animo est disserere.

Abortus igitur nihil aliud est quam fœtus nimis cita expulsio, priusquam aërem ferre, vel ingesta sibi necessaria sumere, et in naturam sui corporis convertere, queat. Ullo tempore post impregnationem abortus fieri potest. Tamen tempora existere peculiaria quibus hic facillime accidit, patet. Longe plures abortus inter hebdomadam octavam et duodecimam occurrunt. Fortasse ad hebdomadam decimam quam ullo alio tempore gestationis plures sunt: sed cur hi hoc tempore frequentius eveniant plena ratio nondum prodita est; quamvis haud dubie hi magna ex parte de consensu et habitu pendent. Varia nomina huic morbo prout diversis temporibus occurrat, imposita sunt. Si fœtus elidi-

tur ex primo ad tertium mensem expulsio, si ex tertio ad sextum mensem, abortus, appellatur, si fœtus primo mense exit, vix nomen abortus meretur, et, cui periculi minimum accidit e rata parte, et qui non videtur lethalis, nisi aliquid vitii generalis systematis comitatur morbum constituit. De illo igitur stadio magis provectiore occurrente tantum agam, et ejus sic habiti sequentem definitionem tradam :—" Dorsi, lumborum ventris partu-" rentium instar, dolores, sanguinis ex utero " gravido profluvium, cum fœtu immaturo " subsequente."

## SYMPTOMATA.

Quod abortus primis tribus mensibus gestationis frequentissime occurrit, præsertim solito menstruandi tempore, ab hæmorrhagia, tunc temporis, ob copiam sanguinis prægrandem illinc immissam, de utero actum sit. Fœtus adhuc recipiendi sanguinem superfluum impar existit, ovumque vinculo præmolli utero connectitur, neque ullum stadium gestationis eodem periculo immune est. Symp-

tomata in primis grassantia, sunt, lassitudo, inertia totius corporis, appetitus privatio, rigor et horripilatio, quibus supervenerint inquietudo, calor, pulsus celer, oculi rubri et tumidi, dolores lumborum regionisque uterinæ ad inguina usque tendentes, profluvium sanguinis ex vasis uterinis plerumque, quamvis abortus pauxillo sanguinis interdum accidat. Hæc, affectiones uteri spasmodicæ, tenesmus, dolores ex cartilagine ensiformi usque ad scapulam tendentes, et sensus borborygmi continui intestinorum sequuntur. Si symptomata non leventur, profluvium ex utero fit maxime insigne, extremorum frigiditas, cephalalgia, deliquium animi, alienatio mentis, vomitus vexans, frigidi tenaces sudores frontis, calidissimi interdum, detumescentia hypogastrii, mammarum flacciditas, tandem contractiones vehementes musculorum abdominis eodem modo ac in partu naturali, ingruunt, membranæ rumpuntur, et aquæ affluunt. Plerumque prima symptomata abortus plus minusve dolore comitantur, et fluxu e vasis uteri indicantur. Hicce fluxus ultimis ges-

tandi mensibus adeo ingravescit, ut, ni mulier statim parturiat, ei mortem minitetur. Tamen in primis tribus mensibus nihil periculi instantis adest, quod vasa uteri non ea sunt mole, quæ vitam subito æstu eripiat, et quantum sanguinis, tum absque vitæ discrimine, amitti possit incredibile dictu videtur, semper timendum est, quando jactura sanguinis subitanea, et valde copiosa evadit. Non omnis uterini sanguinis eliminatio abortum jamjam adesse, prænunciat. Placenta quippe pars aliqua solvi potest, unde sanguinis fluxus oriretur: tamen nonnihil cadit, ut ea denuo adhereat, atque fœmina ad solitum usque pariendi tempus onus perferat. Idem testat, noster celeberrimus Gregorius, "Neque semper aut mulier abortum facit, aut infans perit, quamvis aquæ nonnihil vel sanguinis etiam, effluxerit, nimirum quia placenta si separata aliquantum fuerit, cum utero rursus concrescere potest, et liquor amnii iterum suppleri."

## CAUSA PROXIMA.

Quodcunque separare placentam ab utero vel connexionem inter matrem et fœtum potest corrumpere, esse causam proximam arbitramur. Quæ separatio dupliciter fieri potest. Primo, si impetus sanguinis præter naturam in vasis uteri augeatur, quo facto, separari potest placenta. Secundo, si arcta conjunctio placentæ cum utero e tono aliquorum vasorum pendeat, quidlibet subito, vel potenter hunc tonum minuit, placentæ separationem facile inducit.

## CAUSÆ REMOTÆ.

De his in primis agam, quæ sanguini in vasis uteri, impetum dant. Primo, illas memorabo, quæ in totum corpus agunt; secundario illas quæ in uterum ipsum proxime agunt, vero stimulando ejus vasa, et augendo in iisdem sanguinis velocitatem, vel excitando contractiones uteri abnormes, unde sanguis magna vi in vasa uterina immittitur.

## PLETHORA.

Experientia quotidie docet, mulieres quibus fluxus naturalis et periodicus obstruitur plethoræ aut topicæ aut universalis symptomatibus laborare, minime mirandum est igitur id gravidis, tunc temporis præcipue, sanguine uberiore quam fœtus increscentis nutrimento necessaria sit, accidere, quod Riverius observavit. "Sanguis enim copiosior quam ad fœtus nutritionem requiritur ad uteri arterias profluit, et instar purgationis menstruæ excluditur, simulque fœtum elidit." Hocce malum etiam diversis causis proculdubio produci queat; harumque maxime generales sunt, vita sedentaria, lautior dieta, corpus nimio tepore sed præcipue crebris venæsectionibus debilitatum: vita in inertiis acta, laxitati nimiæ semper amicissima est, adeoque vis tonica vasorum fit fracta, "et forsitan fluido distendenti nimis cedit," indeque, si causæ occasionales sese obtulerint, vasis uterinis dilaceratis abortus fieri potest.

## VIS CORPORI ILLATA EX EXERCITATIONE VIOLENTA.

Quomodo exercitatio vehemens circuitum sanguinis per omnia vasa corporis incitat satis manifestum est. Effectibus ejus igitur perpensis magnam copiam sanguinis ullo tempore dato, in vasa uteri, ferri posse, facile concipere possumus, inde stimulum fieri, quo vasa tenua inter uterum et placentam commercium facientia, facile solvuntur, et hæmorrhagia insignis tunc sæpe evadit. Fœminæ utero gerentes, itineribus imprudenter, nisu violentiore in ponderibus sublevandis, aut, quod multo periculosius est in tali casu, saltatione nimia similes effectus, excitant. "Violent exercise, as dancing for instance, or "much walking, or the fatiguing dissipations "of fashionable life, more especially in the "earlier months, by affecting the circulation "may vary the distribution of blood in the "uterus, so much so as to produce rupture "of the vessels or destroy the ovum.

"Burns."

## CORPORIS CONCUSSIONES.

Agitatio violens corporis vel ex sternutatione, tussi, vel quavis causa quæ mulierem fert præcipitem, sanguinem in quasdem partes corporis et præsertim in uterum nunc sanguine gravidum, unde lenis connexio placentæ cum utero solvi potest, magno impetu impellit. Ad hoc, ictus violentior abdomini illatus, qui vel hæmorrhagiam instantem vel mortem infantis inducat, referri potest, vel inflammationem uteri excitando qualis vitam matris et fœtus in discrimen ferat.

## ANIMI PATHEMATA.

Hæc viribus tam noxiis pollent, ut statum valetudinis firmissimum, quasi subito, in ruinam trahere queant, et ideo naturales et solitas functiones corporis, quibus vita et sanitas tueantur, non solum mutent, sed quoque mala graviora inducant. Ex his, ira, timor, gaudium, furor, et hæc genus alia maximam attentionem postulant, et hæc certe impetu

tam subito ineunt, ut genus nervosum perturbent, sed etiam actionem cordis et arteriarum ciant, cum pulsu celeri, respiratione accelerata, vultu florido et tumido, atque in hoc modo non solum circuitum intendant, sed quoque distributionem æquam sanguinis, unde oriuntur distributiones abnormes ad varias corporis partes, impediant. Ex quo, talia pathemata mentis sanguinis profluvia grandiora præsertim in hominibus iisdem assuetis, ex naribus, pulmonibus et venis hæmorrhoidalibus, induxisse constat. Mulieres ad uterinas hæmorrhagias sunt admodum proclives, et inde profluvia hujuscemodi in illis habitu plethorico in primis gestationis mensibus metuenda sunt. Convulsiones pro periculosis semper habendæ sunt; circuitum non tantum vehementissime accelerant, unde sequelæ graviores oriantur, sed ex violento impetu et agitatione quæ corpori dant, uterus, præcipue in illis habitu irritabili et plethorico, facile læditur, et placenta laxa evadit. Convulsiones sine ulla causa evidente quibus non sôlum fœtus sed mater sæpe corruuntur, aliquando ex-

citantur. Febres acutæ vel intermittentes inter gestationem maxime noxiæ sunt habendæ, quod abortum plerumque inducunt, et nonnunquam moritur ægra—hanc opinionem stabilire videtur HIPPOCRATES in sequenti aphorismate. "Quæ utero gerentes a febri-"bus corripiuntur, et vehementer citra ma-"nifestam causam extenuantur, pariunt dif-"ficulter, et periculosius, aut abortione peri-"clitentur." Illa quæ directe in uterum ipsum agunt vel partes vicinas, admodum sunt varia. Cantharides, calculus vesicæ, et omnia quæ irritant rectum, ut stercus induratum, purgantia acriora, dum diarrhœa, tenesmus, dysenteria, adsunt; hæc stimulare uterum et sæpe abortum inducere constat. Vomitus vehemens, primis mensibus graviditatis perquam molestus est, sed vix attentionem sibi vindicat. Si tamen tempore provectiore ægram vexet, ut progressui ejus obstetur, multo magis refert; nam inter vomendum motus convulsivi musculorum abdominis et diaphragmatis, visceribus valde deorsum compressis, uterum jam mole auctum, afficiant.

## VENUS SINE DISCRIMINE CULTA.

Quod menstrua inter graviditatem cessant major copia sanguinis utero immittitur, et fortasse "Œstrum venereum exinde excitatur." Hoc modo coitus immodicus vel nimium stimulum huic visceri præbendo, aut debilitatem inducendo, abortui favet. Funis umbilicalis iniqua ratione brevior vel longior, vel circa infantis collem contorta, uterum abnormiter stimulando, inter causas abortus numeratur.

## CAUSÆ QUÆ VIM TONICAM VASORUM UTERI FRANGUNT.

Debilitas totius systematis. Hæc vel ex structura congenitali corporis vel ex nimia intemperantia originem habeat. Ex hac causa inter alia uterus lædi solet, muneraque ejus haud infrequenter turbantur. Fœminæ debilæs, et laxæ, nervoso systemate admodum irritabili gaudent, indeque plurimis malis facile tentantur; labes istiusmodi accurate memoratur apud Hoffmannum: "Vel ènim na-

"tura fibrarum uteri debilitas fieri subest, "adeo ut matres quæ frequenter abortiverunt, "filias ad idem vitium generent." Debilitas topica uteri ipsius, licet existente totius systematis nullo vitio, locum habere potest, et corpore viribus labefacto, uterus forsan plus debilitatis quam alia organa, sibi capiat. Istiusmodi conditio, vel ex immodica nimisque menstruandi consuetudine, a fluore albo, repetito sæpius, abortu, vel etiam nimis frequenti partu, eveniat. Hæc mala tonum necessarium uteri vasorum non solum minuunt, sed ea ampliora reddunt, et maximam facilitatem, sanguinem uberius hauriendi, illis impertiunt. "Hisque casibus os uteri plurimum molle, et "facile ad dilatandum evadit, fœtuque ad "collum uteri dilapso, suo ipsius pondere "eliminatur." Certis temporibus, abortui fœminæ admodum proclives sunt, eo plus periculi subest, quo proprius ad solitum tempus ventum fuerit, ubi autem abortum aliquoties perpessæ sunt, ibi negotium minore difficultate et paucioribus incommodis succedit. Omnia profluvia sanguinis, subito facta, cito

et graviter systema afficiunt,—ingentem debilitatem, vertiginem, nauseam, et etiam sæpe mortem inducunt. Jactura sanguinis quando contigit insignis, sive ea per animi pathemata sive ex sanguinis immodica et parum caute usurpata, sit commota, ad abortum disponit. Indeque docet HIPPOCRATES; "Mulierem "utero gerentem, vena secta, abortare."

## FŒTUS MORTUUS.

QUICQUID fœtui exitium intulit sive a causis supra memoratis, ex labe syphilitica, ossificatione placentæ, sive ullo morbo matrem invadente contigerit, quid ea valent, ad abortum producendum, satis manifeste perspicitur.

## PROGNOSIS.

MINIMUM periculi plerumque ex abortu in tribus primis mensibus gestationis si constitutio sit valida, oritur. Vasa hoc tempore sunt parva, fluxus sanguinis raro est celer, et salus atque periculum ægræ e copia sanguinis et tempore quo emittitur, pendebit. Sed

si fluxus sit perpetuus, quamvis non e vasis magnis erumpit, constitutionem debiliorem reddendo, tandem vitam in discrimen adducat. Abortus morte subita raro desinit. Sed si aliquoties urgeat, ægrotantis, vires tandem exhauriuntur, et in hydropem abiit. Abortui, cum mulier morbis acutis, et præsertim variola, laborat, maximum periculum instat. Cum symptomata abortus illas quæ huic antea subierunt, aggrediuntur, prognosim nostram esse infaustam oportet, quod processus usque ad finem plerumque pergit. Quamvis hæmorrhagia occurrat, non inde trahitur, abortum semper accidere, nam ut vasa rupta iterum coeant, et mulier ad solitum tempus onus perferat, interdum evenit. Abortus in ultimis mensibus gestationis fere adeo effrena hæmorrhagia stipatur, ut vires vividas perdat, nisi fœtu statim mulier liberetur, hoc temporis, prognosis est caute reddenda, quod nemini effectus, profluvii sanguinis in quibusdam constitutionibus, satis innotescunt.

## METHODUS MEDENDI.

Hactenus diximus placentæ separationem vel connexionem deletam inter matrem et fœtum esse causam proximam abortus. Quando, hæc variis causis iisque natura sua dissimillimis originem habeat, medendi generalis methodus non nobis datur. Praxin igitur morbi causis accommodare oportet, et ab hoc in sanatione pendet successus.

## SANATIONIS INDICATIONES SUNT,

Ab iterato symptomatum lapsu cavere, deinde venienti occurrere morbo.

## DE PROPHYLAXI IN PRIMIS AGAM.

De hac ut multis disseramus, haud necessarium ducimus; quippe qui in abortus causis supra recensitis, eam quodam modo tradere conatus sum. Sed si consideretur quantum intersit fœmineo sexui, in memoria teneatur, rebus sic se habentibus, attentionem

quam optime adhibitam esse. Res tamen ad hanc rem maxime pertinentes iterum fusius retractari, fortasse non erit alienum, et quæcunque insuper mihi sese obtulerint, silentio non præteribo. "Hoc opus hoc studium "parvi properemus et ampli, si fœminis vo-"lumus, vivere cari."

Sequentia præcepta in usum gravidarum hic tractanda sunt. Plethoræ et proclivitati ad temperamentum sanguineum dieta parca obviam eundum est. Nos penes esse plethoram et temperamentum sanguineum, casu hujuscemodi, attentione adhibita, ne hoc consilium immodice instituatur, nec citius præcipiatur, sine incommodo tollere, est observandum. Hac re igitur rite habita, dieta tenuis ad affectus eorum præcavendos primarium videtur. Nutrimentum ex regno vegetabili, si prægnantibus diutius ferri possit, primum locum sibi jure vindicat, et rebus sic sese gerentibus, magnam partem doctrinæ prophylacticæ constituit. Sed præ omnibus usus liquorum stimulantium, præcipue spirituum ardentium sedulo est evitandus, nam nihil pro-

clivitatem ad fluxus uterinos tam certe dat, et varia exempla mulierum quæ, post catameniam legitimo tempore cessantem, sanguini uterino iterum inchoandi copiam dant, usu spirituum ardentium, existunt.

## DE VENÆSECTIONE.

Quamvis missio sanguinis est remedium summi momenti, tamen usus ejus sine discrimine, inter gestandum neutiquam permittendus est. Nam omnia symptomata quæ, fœminis utero gerentibus, contingere solent, plethoræ effectibusve ejus non oportet nos tribuere. Sed ægritudo, anorexia, nausea, vomitus, animi deliquium, et hæc genus alia, quæ post fœminam fœcundatam grassant, ex fonte longe diversa cadunt. Nam hæc multo citius quam ulla conditio plethoræ, an hæc sit in utero vel systemate generali, enascuntur. Hæc de quibusdam affectionibus systematis nervosi, quæ exanitionibus pertinacia sæpius redduntur, quam levantur, verisimilius pendere apparet. His casibus sanguis nunquam depromendus est.

Sed in laute viventibus, otio gaudentibus, et his qui plethora versantur, vasa depleantur. Alia eodem tempore, quæ attentionem, rebus sic existentibus, postulant, non sunt omittenda, nimirum, sanguis nunquam tam magna copia mittendus est, ut animi deliquium induceret, et certe in hoc statu, huic evacuationi alia remedia palmam præripiunt.

Venæsectio sæpe usurpata non solum vires exhauriat, verum etiam plethoram quodammodo promoveat. A CULLENO percelebri modo sequenti illustratur. "But it is con-"stantly to be attended to, that bloodlettings "are improperly employed to prevent a ple-"thora, as they have a tendency to increase "it."

## CURA EXERCITATIONIS HABENDA.

EXERCITATIONES omnes immodicæ imprimis saltatio et itinera longa inter graviditatem sunt sedulo evitandæ. Veruntamen exercitium maxime prodest; et ad servandam salutem, eandemque amissam restaurandam, sub divo adhibitum, valde confert. Ut plurimum

rusticæ et labore utentes, cum facilitate parturiunt, neque solitas occupationes prius intermittunt, quam parturiendi dolores superveniunt. Sed fœminæ quæ in urbibus degunt, non solum per plures menses durante graviditate, malis vexantur, sed etiam inter parturiendum multo dolore afficiuntur, et haud infrequenter fructibus ærumnarum orbantur. Laxis et solutis rus petendum est, et si nondum gravidæ sint summo cum fructu exercitiis variis utantur ; sed jam utero gerentibus, ex ambulatione et exercitiis, magis opus est illis cavere.

Mulieres statutis periodis abortui admodum proclives sunt. Illis temporibus præcipue omnes novæ commotionis occasiones fugiantur. Sed præ omnibus requiete placidissima frui debent, et fortasse decubitus super lecto vel culcita lanea, solitis vestimentis non exutis, quam si nudæ lectum inirent, præstaret, quod calor lecti perpetuus debilitat, et si ægra posituram corporis horizontalem perpetuo servat, a quavis subita mutatione multum injuriæ capere potest. Animi pathemata reliquis

omnibus graviora, et hinc quam maxime suas merent cautelas. Animus placidus et suavis in gravidis tuendus est; et omnia spectacula quæ fastidium excitant, vel terrori ortum præbeant, sunt evitanda; inde res novæ cujusque generis, et omnia quæ mœrorem vel gaudium insolitum inferunt, maximo periculo sæpe comitantur. "Quod mentis affectiones "maternæ cum animo embryonis communi-"centur gravida bene meminerit, se duplici "vinculo esse ligatam, animum, divinis ideis "et oblectamatis, imbutum, conservare."

Alvus sit modice fusa. Alvo astrictæ victu utero gerentibus commodo, vel salium usu mediorum, possumus obstare. Ostendere, quam maxime interest, alvum laxam servare, plurimi operam dederunt. Quidam * diarrhœa leni sponte superveniente, vel arte inducta, raro abortum fieri certant. Fœminis utero gerentibus præsertim habitu debiliore præditis multum mali, ex venere immodice culta, oriri potest. Syphi-

* Apud Prælect. de Art. obstet. in Acad. Edin.

lim inter causas remotas recensui. Hæc vel ex patre vel matre, sed sæpius ex illo, oriatur. Uterum ad perficiendum suum munus sanum sæpe reddit imparem; et fœtum interimit. Dignum notatu est, hoc malum in casibus plerisque, hydrargyro caute adhibito matri, quamvis labes ex patre ortum suum trahat, penes esse nos superare. Quod habitus corporis natura fractus abortum suscitat; rebus sic existentibus, omnia quæ debilitatem generant, ab ægra sunt fugienda, exercitia indies debet sumere, tunc balneum frigidum regulariter oportet adhiberi, quod multum commodi præbere videtur. Igitur si mulier non sit gravida balneum frigidum primum periculum arrogat; sed post partum hoc summa cum cautela est adhibendum, vel ob diversas causes omittendum. Cinchona, preparationes ferri, vini usus modicus, diæta nutriens, flumen aquæ ex alto, calidus vestitus malis effectibus ex debilitate orientibus obstant.

Quæ jam diximus ad rationem prohibendi abortum maxime pertinent. De illis reme-

diis, quæ vires certissimas habent, huic malo imminenti obstare, nunc agam. Horum prima est detractio sanguinis. Si symptomata abortus adsint, vel fluxus sanguinis uterini ex causis quibuslibet excitatus, si ægra sit plethorica, pulsus validus et citatus, deplere vasa nos statim oportet, et ex hoc remedio, mature usurpato, fluxus ex utero nonnihil supprimitur, symptomata levantur, et ut mulier solitum tempus impleat, haud infrequenter accidit. Hanc veniam peto, exemplum quod nuper mihi se obtulit, hoc veritatis maxime illustrans, proferendi. Mulieri adfui gravidæ tres menses, cui symptomata abortus instabant, et quæ ab eodem malo antea correpta fuerat. Vultum ejus floridum, murmur violentissimum viscerum, pulsum plenum et celerem, inveni. Rebus sic minitantibus, venam statim tundere, non hærebam. Hoc fuit illi levamini, et in eodem statu per horas septem manebat. Symptomatibus redeuntibus iterum venæsectionem celebravi. Post hanc satis valebat, et quiete in lecto per aliquot dies servata, spem jucundam habet, onus ad plenum tempus

perferendi, et jam in mense octavo gestationis versatur.

## VARIA REFRIGERANTIA.

Hæmorrhagia vexante regimini antiphlogistico insistendum est; et ab omnibus stimulantibus abstinendum. In ægrotantis cubiculo ignem haud accendere licet; atque ægra potius super culcitam laneam quam in lecto molli recumbere debet. Panni frigidi, vel aceto vel muriatis ammoniæ solutione madefacti, ad lumbos vel inguina sæpe sunt admovendi; aliique aliis celerrime succedere debent. Haustu salino et potu frigido, cum tinctura rosarum bene acidulato ægra utatur, vires refocillandæ sunt diæta tenui, ex fructibus præcipue confecta, victus ex regno animali neutiquam permittendus est. Ad resistendum fluxui uterino varia astringentia laudata sunt, vel ore sumpta vel proxime vasis sanguinem effundentibus injectione per vaginam admota. Quod ad illa attinet, parum commodi ab iis forsitan oriri potest, nam

talia medicamenta ore sumpta, parum valere, ad obstandum hæmorrhagiæ e laxata placenta orienti, in aperto est; injectiones stypticæ in vaginam immissæ quamvis, a quibusdam auctoribus præclaris minimi momenti, et ad vexandam et fatigandam ægram tantum pollentes, habitæ; tamen caute adhibitæ periculum certe merentur, et aliis remediis incassum tentatis, hæ nunquam sunt prætermittendæ. Frustra glaciei in vaginam introducta, Dominus BURNS summis laudibus effert. "The in-"troduction of a small piece of ice into the "vagina has often a very speedy effect in re-"tarding the hæmorrhage."

## OPIATA MINIME NEGLIGENDA SUNT.

QUANDO vero abortus instat e statu systematis phlogistico, hæc vitanda potius sunt, nam sanguinis impetum citatiorem reddunt, venæsectione rite adhibita, et actione cordis et arteriarum superata, tunc opiata tutissime admoveri possunt, et pro optimis antispasmodicis sunt habenda. Timores sopiunt, requiemque

parant et in omnibus exemplis partialis separationis ovi, remedia præstantissima constituunt. Ut supra diximus, ante quintum mensem non tantum periculi ex hæmorrhagia adest, quod vitæ fontem subito exhauriat. Ast post illam periodum oborta hæmorrhagia pessima mala minantur, quippe vasis admodum jam auctis et amplioribus factis, sanguinem tam enormi copia subito effundunt, ut mater morti statim occumbat. In tali casu cavendum est ne fœmina quid detrimenti ex absentia obstretricis sustineat. Varia remedia supra memorata in auxilium vocanda sunt, si fluxus maneat, et omnes conatus sint vani, igitur partus quamprimum promovendus est. Ægra in latere sinistro rite posita juxta marginem lecti. Obstetricis digitis in formam coni reductis, motu manus semicirculari servato, os uteri sensim dilatandum est. Inter conamina autem intermittendum, ore tincæ satis dilatato membranæ sunt rumpendæ quæ fœtum involutant et manus caute et sursum in uterum dirigenda, utrasque pedes, si simul jacent, complectamur. Si seorsim sint pedes, satis commode fœ-

tus ex matre detrahi potest. Fœtu detracto, placenta proximam attentionem postulat. Si hæmorrhagia post partum perstat, statim placenta extrahi debet. Fœtu secundinisque remotis dummodo uterus seipsum abnormiter contrahat, et e ruptis orificiis vasorum non clausis sanguis copiose irruat, in hoc casu aquæ frigidæ jactatio, ex alto abdomini nudo, ad efficiendam uteri contractionem et sanguinem in lumine compescere, maxime valet. Systemati robur pristinum dare, conandum est. Ægra prorsus quieta servanda est, cardiaca, et opiata sunt sumenda, et si debilitas accideret, opiatis sæpius utatur; mens tranquilla et serena est tuenda, et omnia ingrata sunt sedulo evitanda, et quando vires ægræ sinunt, rure, exercitationibus, et omnibus ad reficiendam constitutionem necessariis oportet frui; præ ceteris, animi pathemata fugienda sunt; terror enim lochia supprimit, ira, hæmorrhagias insolescentes, et febres acutas producit; utraque vero pathemata debiles reddunt puerperas.

FINIS.

ERRATA.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| P. 4. | l. 10. | *pro* aërem | *lege* aëra. |
| — 13. | — 6. | — aphorismate | — aphorismo. |